

iam iam venienti occurramus, ut cum illo ad nuptias & gaudia sempiterna ingrediamur.

Appendix contra Raimundum & Theodorum Graminæum.



DIDIT Raimundus alterū scriptum de stella, sermone patro, contra quendam, quem ille excellētem compositorem nominat: contēdentem cometem esse hāc stellam. Hoc Raimundi scriptum et si serò admodum peruenit ad manus meas, nimirum postquam meam lucubratiunculam omnino conclussem: tamen eo perlecto, cùm cognouissem Raimundum suam brassicam recoquere, suosq; errores vanis & friuolis quibusdam ratiūculis palliare: officij à me semel suscepit ratio postulare videbatur, ut ad ea quoq; sub finem huius nostræ disceptationis responderem, Thrasonicamq; Raimundi iactantiam retunderem. Vrget iterum Raimundus suo scripto, & sola quadam (ut apparet) peruicacia contendit, veterem esse hanc stellam, non nouam: ac auctionem acceptisse ab intēperie raritatis aëris, seu à fumositate sicca, tam latè diffusa, ut obtexerit vniuersam Cassiopen & Vrsam minorem: indeq; factum esse, ut vtriusq; imaginis stellæ luminosiores solito apparuerint. Quòd verò undecima illa omnium splēdidissimè luxerit, euenisce propter spissiores densioresque fumositates sub ipsam collectas: in quo nititur auctoritate Ptolemæi, quòd is lib. 2. quadrip. cap. ultimo, id

P